

DE MAGISTRATU POLITICO, THEOREMATA.

1. **M**agistratus dicitur à Magistro, quæ voce apud Romanos antiquos dicebatur ille, qui supremam gerebat potestatem, postea Dictator vocatus est. Hinc apud Festum magistrare est regere & moderari. Additur *Politicus*, quæ vox est Græca, ἀπὸ τῆς πόλεως, ubi nō tantum urbs muris cincta, vicisque distincta notatur; sed quævis hominum multitudo, in unum locum confluens.
2. Magistratus sumitur vel abstractè, pro ipsa potestate & autoritate, 2. Macc. 8, 16. vel concrete, pro ipsis personis, qui magistratum gerunt, Exod. 9, 9. Jer. 51, 22. Luc. 2, 1.
3. Vocantur Domini, Genes. 45, 8. Duces, Gen. 36, 15. Magnates, 2. Sam. 3, 38. Dominatores, 1. Reg. 4, 21. Reges, Gen. 14, 8. 18.
4. Eodem pertinent copiosæ periphraes, quod nominentur Dii, quia scilicet divinum officium administrant, Deut. 1, 17. & Deum habent sibi præsentem, Psal. 82, 1. Patres, Gen. 4, 43. 1. Sam. 24, 12. ob affectionem paternam, & honorem ipsis debitum. Capita, Num. 5, 16. Judic. 11, 7. ob sublimitatem. Clypei terræ, Psal. 47. v. 10. ob protectionem. Fundamenta terræ, Psal. 82, 5. Esa. 40, 21. ob eandem causam. Portæ, Ruth. 4, 1. Psal. 74, 7. quod in portis olim exercebantur judicia. Paxilli, Esa. 22, 23. ob stabilitatem & laboris gravitatem, ideoque etiam Angeli, Judic. 20, 2. Zach. 10, 4. Anuli sigillares, Jerem. 22, 24. ob singularem curam, quæ illos persequitur Deus. Montes, Jer. 51, 25. Mich. 6, 2. ob sublimitatem & fortitudinem. Salvatores, Jud. 3, 9. 2. Reg. 13, 5. ob liberationem ab hostibus. Uncti Domini, 1. Sam. 24, 7. 2. Sam. 19, 21. ob ritum, quia oleo inaugurari solebant. Venatores, Gen. 10, 9. ob crudelem administrationem.
5. Est verò Magistratus persona divinitus constituta, potestate tenendi leges civiles, Judicia publica juxta eas instituendi, & pœnas transgressoribus illarum legum irrogandi instructa, atque ob id gladio armata, ut externa delicta coerceantur, Justitia administretur, ac tranquilla Respubl. conservetur.
6. Genus est Persona divinitus instituta.

7. Diffe.